Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1505
Quelle:
Copyright:

Libellis addidit *Brunus*, quibusque, saltem in Parnasso, subsellium non meruit.

DCXLVII.

E. 10 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 233. 4. maj. est Pars I. Operis inediti *Joannis Bodini Andegavens.* quod inscribitur: *Colloquium Heptaplomeres* (Επταπλος et Μεφος, non tamen dictum a VII. *Libris*, quod putavit quidam, cum non nisi VI. sint, sed a VII. Collocutoribus) *de abditis sublimium rerum Arcanis.* Titulus, ut mos Veteratorum, ad alliciendos Lectores comparatus. Agitur vero in hoc *Colloquio* inter *Paulum Coronaeum* Catholicum, *Frid. Podamicum* Lutheranum, *Octav. Fagnolam* Mohammedanum, *Hier. Senamum* Epicureum, *Ant. Curtium* Calvinianum, *Salom. Barcassiam* Judaeum, et *Didac. Toralbam* Philosoph. naturalem de Religionibus, et ita quidem, ut Christiani (*Bodiniani* nempe) ceteris et praecipue Philosophiae naturali et Judaismo palmam cedere videantur. Autor aliis Scriptis notus, verum in hoc eruditione sua maxime abusus perfecit illud a. 1588. aetatis 63. inde autem vitam produxit ad a. 1596. De morte ejus varii varia. Postquam vivens inter Catholicos, Reformatosque fluctuasset, sunt, qui Judaeum, sunt qui nulli religioni addictum obiisse tradunt. Refert haec plenius *L. Jo. Diecmannus* in *Schediasmate de Naturalismo cum aliorum, tum maxime Jo. Bodini* recuso *Lips.* 1684. 12. ubi et Opus nostrum impugnat, quemadmodum *Pet. Dan. Huetius* ante ipsum in *Demonstr.* sua *Evangelica Paris.* et *Amst.* saepius edita praestitit. *Diecmanni* Schediasma recensuere *les Nouvelles de la Republ. des Lett.* mense *Jun.* 1684. p. 343. Adi etiam, si lubet, *Niceroni* T. XVII. p. 264. In quodam *Cod.* nostro *ms.* ex ore *Gabr. Naudaei* haec referuntur: *Guillaume Postel donna des memoires a Bodin, sur les quels il fit son Heptaplomeres. Ces memoires venoient d'une certaine Academie de quelques scavans Italiens, de la quelle Postel estoit le greffier.* Similia *Diecman.* p. 9. Pars nostra I. terminatur cum *Libro* IV.

Pars II. Folior. 247. reliquos duos *Libros* complectitur, et ad calcem habet: *Finis* H. E. J. B. A. S. A. Æ. L. X. III. Legendum fortasse: *Hic est Job. Bodini Andegavensis suae anno aetatis* 63. Historiam propagationis perniciosi hujus Operis, cujus Αυτογραφον a *Bodini* Heredibus ad *Henr. Memmium* Parlam. Praefidem devenisse dicitur, texuerunt Autores supra adducti. *Hugoni Grotio*, qui suum de eo promit judicium in *Epistola* 166. inter *Epist. ad Gallos*, *Lugd. Bat.* 1650. p. 406. commodavit a. 1634. *Job. Cordesius. Christina Suecica* diu quaesitum tandem invenit. Sumtum inde Απογραφον vidit *Paul. Colomesius* in Bibliotheca *Brioti.* Atque hinc urgente ex una parte Literato-